

§ II. — *In quo vulgatum de S. Eusebio carmen explicatur.*

EPIGRAMMA (1) DE S. EUSEBIO.

Heraclius (2) vetuit lapsos peccata dolere;
Eusebius miseros docuit sua crimina flere.
Scinditur in partes populus gliscente furore,
Sedet loca edes (*leg.* Seditio, cædes) bellum, discordia,
[lites.

Exemplo (3) pariter pulsiferitate tyranni,
Integra cum (4) rector servaret fœdera pacis,
Pertulit exilium omnino sub iudice lætus
Littore Trinacrio (5) mundum vitamque reliquit.

§ III. — *De epistolis ac decretis Eusebio papæ adscriptis.*

1. Tres epistolas aperte falsas, et ab Isidoro Mercatore Eusebii nomine confictas, cum cæteris in ejusdem officina cisis, Deo dante, forte alibi edemus.

2. Præterea in editionibus Conciliorum quatuor circumferuntur decreta e variis canonum collectionibus, in quibus Eusebii nomine insigniuntur, collecta. Horum primum, « Desponsatam puellam parentibus non licet alii viro tradere; licet tamen monasterium sibi eligere, » quod Gratianus 27, quæst. 2, cap. 27, Ivo p. 6, c. 40; Burchardus lib. viii, cap. 4, Eusebio adscribunt, est Pœnitentialis Theodori Cantuariensis episcopi apud Petitem, tom. 1, p. 12, cap. 11, subinde lib. vi Capitularium, cap. 92, insertum his verbis: « Puellam desponsatam non licet parentibus dare alteri viro: tamen ad monasterium licet ire si voluerit. » Hæc autem postrema pars de potestate petendi monasterium, Justiniani imp. cum Cod. lib. 1,

(1) Istud epigramma, seu epitaphium, Baronius in novissima editione Antuerpiensi ad annum 357, num. 57, non sine cunctatione, ad Eusebium presbyterum, qui Liberio pontifice vitam finit, refert. Illud potius ad Eusebium papam attinere judicat Tillemontius, ejusque iudicio ultro subscribimus. Nec mirum est, dignum Marcelli successorem eam Ecclesiæ disciplinam, ob cuius defensionem sanctus ille decessor exilio multatus fuerat, acriter vindicasse, eaque de causa, eodem Christi apostata instante, ab eodem tyranno eandem pœnam subiisse. Quocirca etiam ipse qui superius de S. Marcello carmen adornavit Damasus, etiam istud concinnasse haud immerito censeatur.

(2) Hic nomen exprimi videtur apostatæ illius, quem in pace Christum negasse superius de S. Marcello carmen memorat. Nomen autem lapsorum ii tunc vulgo designabantur, qui idolorum se sacrificiis contaminarant, vel in quodvis incurrerant idololatriæ scelus, ut Cypriani opus simpliciter inscriptum de *Lapsis*, ejusque epistolæ passim probant.

(3) Hic memoratur exemplum Marcelli, qui pariter a Maxentio tyranno in exilium pulsus fuerat.

(4) Damaso rectoris nomine Romanum pontificem indicare quam familiare fuerit, Milesius Sarazanius in illud superioris epigrammatis, *Veridicus rector*, pluribus exemplis demonstrat. Ideo autem Eusebius integra pacis fœdera servare nunc velle dicitur, quia pacem lapsis concedere volebat, nisi iis conditionibus quibus eam dandam esse Cornelius cum toto orbe decreverat. Quocirca dicitur miseros peccata sua flere et per dignos pœnitentiæ fructus diluere docuisse; cum contra nollet Heraclius eos peccata dolere, sed statim prætermisissis pœnitentiæ laboribus pacem recipere. Eadem loquendi ratione defert epigramma de Marcello, quod *solvuntur fœdera pacis*.

(5) Videlicet relegatus in Siciliam, quæ Straboni et Plinio a tribus promontoriis, Peloro, Pachyro et Lilybæo, *Trinacria* dicta est. Ibi Eusebium vita functum, ad cœlos migrasse nostri epigrammatis conditor docet.

tit. 3, lege 56, tum Novella 125, cap. 39, necnon a Gregorio Indict. xv, epist. 20, ad Fortunat. et Cypr. approbatur.

5. Secundum, « Consulto omnium statuimus, ut sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto quisquam celebrare præsumat, etc., » apud Gratianum, de Consecratione dist. 1, cap. 46, Eusebii simul et Silvestri; apud Ivonem, par. vii, c. 40, et Burchardum, lib. iii, cap. 99, unius Eusebii; ac demum apud Anselmum, lib. ix, cap. 2, unius Silvestri præ se fert nomen. Ex gestis autem Silvestri libro Pontificali insertis, quæ Labbeus, tom. 1 Concil., pag. 1542, edidit, excerptum est.

4. Tertium, « Jejunia in Ecclesia a sacerdotibus constituta sine necessitate rationabili non solvantur, » ex Gratiano de Consecr. dist. 5, c. 17, descriptum, et ab Ivone, par. iv, cap. 49, necnon Burchardo, lib. xiii, cap. 17, velut « ex dictis Eusebii papæ, cap. 10, citatum, » in Capitulari 1, quod Steph. Baluzius Capitulis anni 813, pag. 517, subjecit, est capitulum 23.

5. Quartum, e codice quinque librorum, cap. 41, ita profertur: « Oportet episcopum moderatis epulis contentum esse, suosque convivas ad comedendum et bibendum non urgere. Removeantur ab ejus convivio cuncta turpitudinis argumenta: non ludicra spectacula, non acroamatum vaniloquia, non fatuorum stultiloquia, non scurrilium admittantur præstigia. Adsint peregrini et pauperes et debiles, qui de sacerdotali mensa Christum benedicentes, benedictionem percipiant. Recitetur sacra lectio, subsequatur vivæ vocis exhortatio: ut non tantum corporali cibo, immo verbi spiritualis alimento convivantes se relectos gratulentur, ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum Dominum nostrum. » Idem quoque Ivo, par. xiii, c. 75, et Burchardus, lib. xiv, c. 4, velut « ex decretis Eusebii, cap. 10 » citant. Sapientissimum quidem est decretum, nihilque præcipit quod Eusebio videatur indignum: sed id quod prohibet, in illius ætatem minime arbitramur convenire. Tunc opus non erat, ut ab episcoporum mensa seu spectacula ludicra, seu scurrilium præstigia removerentur. Ecclesiis tum maxime præerant ii antistites, quorum modestiæ laudes etiam gentilis ac religionis nostræ adversarius scriptor negare non valuit, « quos » nimirum « tenuitas edendi potandique parcissime, vilitas etiam indumentorum, et supercilium humum spectantia perpetuo numini verisque ejus cultoribus ut puros commendabant et verecundos. » Ita porro Damasi ævo Ammianus Marcellinus, lib. xxvii, cap. 3, loquebatur. Predicto autem decreto affine est quod anno 813 concilium Turonense III, can. 5 constituit: « Episcopum non oportere profusis incumbere conviviis: sed parco et moderato contentus sit cibo, ne videatur Domini abuti sententia dicentis: *Attendite ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.*, xxi, 34). Et quamdiu convivatur, potius sacra lectio ante mensam ejus recitetur, quam otiosa a susurrantibus resonent verba. » Et can. 6: « Peregrini et

bis episcopum, a quibusdam collegis suis per Africam constitatis, multis de rebus insinulari; ac mihi permolestum videtur, in iis provinciis, quas divina providentia meæ devotioni mera liberalitate tradidit, et in quibus maxima est populi multitudo, plebem quasi in duas partes divisam ad deteriora deflectere, et episcopos inter se dissentire: Placuit mihi, ut ipse Cæcilianus cum decem episcopis qui accusare illum videntur, ac decem aliis, quos ipse ad causam suam necessarios esse judicaverit, Romam naviget; ut ibi coram vobis, necnon Reticio, Materno et Marino (1) collegis vestris, quos hujus rei causa Romam prope-rare præcepi, possit audiri, quemadmodum sanctissimæ legi convenire optime nostis. Porro ut de omnibus his plenissimam valeatis habere notitiam, exempla libellorum (2) ad me ab Anulino missorum litteris meis subjecta, ad supradictos collegas vestros transmissi. Quibus lectis perpendet gravitas vestra, quomodo modo prædicta controversia accuratissime dijudicanda sit, et ex præscripto justitiæ terminanda. Siquidem nec vestram sedulitatem latet tantam a me reverentiam sanctissimæ Ecclesiæ catholicæ exhiberi, ut nullum omnino schisma vel discidium ullo in loco a vobis relinqui velim. Divinitas summi Dei multis annis vos servet, clarissime.

§ IV. — *Melchiiadis sententia de Cæciliani causa.*

5. Eodem anno 315, Octobris secundo die, qui in sextam feriam incidebat, in domum Faustæ, Constantini uxoris, in Laterano convenerunt et con-sederunt iudices: Miltiades, episcopus urbis Romæ; Maternus Agrippinæ civitatis, Reticius Augustodunensis, Marinus Arelatensis, Meroles Medionalensis, alique quatuordecim episcopi Itali, quorum et nomina et sedes Optatus recenset. « His decem et novem considentibus episcopis, » inquit idem Optatus, « causa Donati et Cæciliani in medium missa est a singulis. In Donatum (A Casis Nigris, ut liquet ex Augustino brevic. Coll. diei III, n. 36, et lib. ad Donat. post Coll. n. 17) sunt hæc sententiæ latæ: Quod confessus sit se rebaptizasse, et episcopis lapsis manum imposuisse; quod ab Ecclesia alienum est. Testes inducti a Donato confessi sunt se non habere quod in Cæcilianum dicerent. » Cæcilianus omnium supra memoratorum

fuerit, ab Optato silendum esse. Quocirca Merocli, qui Mediolanensis tunc episcopus erat, pro Marco eo probabilius mallent, quod Constantinus, eo ipso anno Mediolani versatus, probatam ac perspectam habere potuerit Merocliis æquitatem. Inde tamen moveri quispiam potest, quod in eadem inscriptione, in qua denominatur Miltiades Romæ urbis episcopus, alterius, qui ei adjungitur, dignitas taceatur. Præterea verbum *τιμωτάτε*, *charissime*, quo epistola clauditur, indicio esse posset, epistolam hanc Miltiadi uni, non duobus scriptam esse, nisi et eadem scribendi ratio frequens occurreret in ipsis Romanorum præsulum litteris, quæ pluribus a pari inscriptæ sunt. Jam vero eruditorum de hoc loco conjecturas, et argumenta quæ ipsis vel adversentur vel faveant, exposui: nunc

πον τῆς καρταγεννησίῳν πόλεως, παρὰ τινῶν κολλήγων αὐτοῦ τῶν κατὰ τὴν Ἀφρικὴν κατεστῶτων ἐν πολλοῖς πράγμασιν εὐθύνεσθαι· καὶ τοῦτό μοι βαρὺ σφόδρα δοκεῖ, τὸ ἐν ταύταις ταῖς ἐπαρχίαις, ἃς τῇ ἐμῇ καθοσίῳσει ἀθαιρετοῦς ἢ θείᾳ πρόνοιᾳ ἐνεχείρισε, κἀκεῖσε πολὺ πλῆθος λαοῦ, ὄχλον ἐπὶ τὸ φαυλότερον ἐπιμένοντα εὐρίσκεισθαι ὡσανεὶ δεχσστατοῦντα, καὶ μεταξὺ ἐπισκόπων διαφορὰς ἔχειν· ἔδοξέ μοι ἴν' αὐτὸς ὁ Καικιλιανὸς μετὰ δέκα ἐπισκόπων τῶν αὐτὸν εὐθύνειν δοκούντων, καὶ δέκα ἐτέρων οὓς αὐτὸς τῇ ἑαυτοῦ δίκῃ ἀναγκάσιος ὑπολάβῃ, εἰς τὴν Ῥωμὴν πλῶν ἀπείναι· ἴν' ἐκεῖσε ὑμῶν παρόντων, ἀλλὰ μὴν καὶ Ῥετικίου, καὶ Ματέρου καὶ Μαρῖνου τῶν κολλήγων ὑμῶν, οὓς τοῦτου ἕνεκεν εἰς τὴν Ῥωμὴν προσεταξαί ἐπισπεῦσαι, δυναθῆ ἀκουσθῆναι, ὡς ἂν καταμάθοιτε τῷ σεβασμωτάτῳ νόμῳ ἀριότιτεν. Ἴνα μὲντοι καὶ περὶ πάντων αὐτῶν τούτων πληρεστάτην δυναθῆτε ἔχειν ἡρώσιον, τὰ ἀντίτυπα τῶν ἐγγράφων τῶν πρὸς με παρὰ Ἀνυλίνου ἀποσταλέντων γράμμασιν ἐμοῖς ὑποτάξας πρὸς τοὺς προειρημένους κολλήγας ὑμῶν ἐξέπεμψα· οἷς ἐντοχούσα ἢ ὑμετέρα στερότῳτος δοιμάσει ὄν τινα χρὴ τρόπον τὴν προειρημένην δίκην ἐπιμελέστατα διενκηρῆσαι, καὶ κατὰ τὸ δίκαιον τερματῖσαι. Ὅποτε μὴδὲ τὴν ὑμετέραν ἐπιμέλειαν λαθάνει, τοσαύτην με αἰδῶ τῇ ἐν θεσμῷ (sic) καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ ἀπονέμειν, ὡς μὴδὲν καθόλου σχῖσμα ἢ διχσστασίαν ἐν τει τόπω βούλεσθαι με ὑμᾶς καταλαπεῖν. Ἡ θεϊότης ὑμᾶς τοῦ μεγάλου Θεοῦ διαφυλάξοι πολλοῖς ἔτεσι, τιμωτάτε.

sententiis innocens est pronuntiat, etiam Miltiadis sententia, qua iudicium clausum est his verbis: « Cum constiterit Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerunt, juxta professionem suam non accusari, nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit; suæ communioni ecclesiasticæ integro statu retinendum esse censeo. » Melchiiadis sententiam integram ab Optato relatum non esse liquet ex Augustino, epist. 45, olim 162, n. 16, qui eam ibidem laudibus extollit in hunc modum: « Qualis ipsius Melchiiadis ultima est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica, qua neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est remove, et Donato solo (a Casis Nigris) quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit, paratus litteras communicatorias mittere etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret; ta ut quibuscumque locis duo essent episcopi, quos

seligat quisque quod sibi magis arridet. Rei veritatem nos certius docuisset collationis Carthaginensis tertia pars, cap. 519, cui hæc ipsa epistola inserta erat, nisi hæc portio excidisset.

(1) Episcopus illos Gallos cum Romano convenire præcepit Constantinus, morem gerens huic Donatarum petitioni, in qua legere est: *Petimus ut de Galliis nobis iudices dari præcipiat pietas tua; quia, inquam, ab hoc facinore et dissensione immunis est Gallia.*

(2) Precum seu libellorum partem postremam Optatus circa finem lib. 1 exscripsit. Cætera desiderantur.